



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Decimussextus Imperator Yangkiaus. Imperavit annis VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

DECIMUS SEXTUS IMPERATOR

YANG KIAU S.

Imperavit annis VII.

YANG KIAU S NANKENG I frater per vim & ipse imperium invasit, eliminatis nepotibus. Hæc dominandi libido & inter patruos ac nepotes rixæ, parum abfuit, quin agnatam huic familiæ successionem extinguerent. Quippe belli dissidio à se invicem distracti totum miscebant imperium. Magistratus Præfectique in factiones discesserant; rem suam quisque gerere, atque ad eorum causam acclinare se, à quibus opes honorésque sperabant. Regulis quoque beneficiarijs fluxa fides, cùm priscam Imperatorum simplicitatem desiderarent, imperium primò timidiūs, mox palam aspernantibus. Pari licentiâ tributa, quæ quotaannis ferre soliti erant, jam recusare audebant. Quare imperio in varios quasi potentatus, qui sui juris essent, distracto, in pejus omnia ruebant. Actum fuisset de Imperatricē domo, déque imperio universo, nisi fluentem rem publ. restituisset Imperator, quo de nunc dicendum.

Cyclo 22. anno
30. ante Christum
Anno 1408.

DECIMUS SEPTIMUS IMPERATOR

PUONKENG U S.

Imperavit annis XXVIII.

PUONKENG U S igitur YANG KIAI I frater, ubi gubernacula imperij tractare cœpit, rem publ. cognitorum maximè ambitio- ne percussam atque afflictam excitare aggreditur. In ambiendâ potestate à se quoque peccatum non diffitebatur, læso nepotum jure; ne tamen exemplum suum prodiret ad alios, cavebat diligenter. Principio igitur imperij nihil priùs quam de legibus actum. A TAN- CO ejus proavo quondam latæ postquam alibi constitutâ regiâ, & ipsæ simul translatae, velut in peregrino & ignoto solo clanguerunt. Eâ

K igitur

Cyclo 22. anno
37. ante Christum
Anno 1409.